





Amplissimæ funeris deductioni

VIRI

Reverendi, Amplißimi & Consultißimi,

DN. JODOCI NEOMARCI,

Ecclesiæ Cathedralis ad D. Mariæ & Illustr. Pædagogij Stetin. Capitularis ac Provisoris, nec non Regij Archidicasterij ibidem Protonotarij meritissimi, desideratissimi:

QUI

Editus in hanc lucem Dantisci, Anno CHRISTI 1589. die 6. Novembris; eâdem orbatus Stetini, d. 2. Julij A. C. 1641. ætatis suæ 51. mens. 8. hodie, nim. 8. ejusd. mens. in Templo Mariano ibid. more Christiano & solenni, terræ mandabitur:

Ut omnes & singuli in Illustri Pædagogio Studiosi Juvenes, frequentes, pieq; lugentes & condolentes intersint, hortatur, vacante Rectoris loco,

M. HEINR. KIELMANNUS, ejusd. Pædag. ConR. Gr. L. & Poës. Prof.

STETINI, Typis GEORGII GOETSCHII.

ITerum hodierno die nobis obversatur ante oculos exemplum inopinatum fragilitatis & inconstantiæ, vitæ sortisq́ humanæ, in funere Reverendi, Amplißimi & Consultißimi Viri, Dn. JODOCI NEOMARCI, Ecclesiæ Cathedralis Marianæ & Illustris Pædagogij Stetin. Capitularis ac Provisoris, nec non Regij Archidicasterij ibidem Protonotarij dignißimi fidelißimiq́: qui decurso vitæ mortalis spatio, in medio honorum & laborum curriculo, excesßit è rebus humanis; summoq́ in luctu & dolore acerbißimo superstitem uxorem viduam, liberosq́ orphanos, & omnem deniq́ familiam honoratißimam post se reliquit. Quo casu planè inexpectato non diffitemur nostrum etiam Pædagogium perturbatum vehementer esse: cùm intelligamus, eum virum nobis ereptum esse, qui & ornamento urbi huic & universo Ducatui fuerit, & in functionibus tam arduis & laboriosis cuivis fidem & industriam suam probaverit hactenus; & qui deinceps etiam, si per fata licuisset, supremæ Curiæ Aulicæ, Temploq́ & Pædagogio nostro operâ salutari fructuosè & utiliter inservire potuisset. Verùm quia sic visum Deo fuit, ut ex mundanis hisce ærumnis animam sibi placentem maturè eriperet, & in arcem vitæ & lætitiæ cœlestis ex hoc terreno carcere transferret: ipsa nos pietas Christiana jubet & ferre moderatius Viri Amplis-

plißimi obitum, & totis pectoribus ad eundem aspirare portum, in quo similiter animæ nostræ, ex hoc tempestuoso eluctatæ pelago, sempiternam in CHRISTO quietem ac beatitudinem consequantur. Vota interim simul conjungamus & fundamus ad DEUM ardentia, ut is, inter pericula ingruentia, Templa, Politias & Scholas clementer protegat; regat & conservet eos, qui adhuc superstites illis debitâ cum fide & diligentia præsunt; & pro Viris præstantibus piè defunctis excitet alios, qui non minori cum laude fructuq; gloriæ sanctißimi Nominis ipsius, & communi hominum societati, in futurum etiam tempus quàm diutißimè inserviant. Ut autem Viri hujus meritißimi familiæ relictæ mœstißimæ nostro quoq; loco significationem aliquam præbeamus Christianæ συμπαθείας, *atq; hoc modo luctum, in quo jam versatur, & dolorem ingentem officio nostro qualicunq; allevemus; paucula quædam hoc tempore, quo funeris exequiæ pro more, programmate publico significantur, proponenda sunt, ex quibus tum ornamenta generis splendidißimi, tum vitæ ipsius Defuncti, Viri Spectatißimi, curriculũ honestum & præclarum, aliquo saltem modo Juventꝰ Studiosa perspicere poßit.*

Natus est ὁ μακαρίτης *in urbe Regia DANTISCO, Anno CHRISTI, supra millesimum, quingentesimum, octogesimo nono, die 6. M. Novembr. parentibus pietate, fide, gravitate, generisq; splendore maximè conspicuis. Pater ejus fuit Vir honoratißimus & integerrimus,*

rimus, Dn. GEORGIUS NEOMARCUS, Civis & Mercator ibidem primarius, nec non Templi Petrini Provisor & Curator optimè meritus. Matrem verò habuit Matronam omni virtutum genere ornatissimã, REGINAM, ex antiqua & celebri GERICHIORUM familiâ oriundam. Hi parentes laudatissimi, piæ mem. filium suum maturè sacro Baptismatis fonte ablui, ac mystico CHRISTI corpori insericurarunt: cujus quidem fœderis cum CHRISTO initi, per omnem vitam, in adversitatibus quibusvis ad extremum usq; halitum, magna cum spe & fiduciâ memor ille fuit. Postea piè liberaliterq; domi & in schola patria ad annũ usq; ætatis octavum educatus est. Cùm verò in ipso naturæ quædam indoles non vulgaris animadverteretur, missus est STETINUM in Scholam Senatoriam, ibiq; in studio pietatis & literarum Artiumq; bonarum instituendus traditus Præceptoribus doctis atq; solertibus. Quinquenniô hic transactô, cùm prima linguarum & Artium rudimenta non infeliciter imbibisset; voluntate Dn. Parentis sui ablegatus est in Poloniam: ubi in Collegio POLTOFFKIENSI non ignobili per biennium studijs humanioribus operam dedit. Hinc DANTISCUM revocatus, in celeberrimo, quod ibi est, Gymnasio, sub Philosopho Excellentissimo, Dn. BARTHOLOMÆO KECKERMANNO, in opt. Artes & Philosophiam per triennium summo studio & fervore incubuit. Postquam ergo eo etiam in

loco

loco tantum profecisset, ut ingenuas Artes ac Disciplinas calleret sufficienter; adeoq; necessaria fundamenta jam teneret, quibus ædificium alicujus sublimioris Disciplinæ superstrui commodè posse videbatur; contulit se de consilio Dn. Parentis, nec non Dnn. Professorũ & Præceptorum suorum, tam publicorum quàm privatorum, in Inclytam Academiam WITEBERGENSEM: ubi primordiis Disciplinæ Juridicæ, DEO Duce & auspice, capiendis annum unum impendit. Sed ut diversis in locis studiorum cursum, quem sibi proposuerat, Clarissimorum Virorum operâ feliciùs conficeret atq; absolveret, & simul alias lustraret urbes atq; Academias; Witebergâ deinde in Almam GIESSENAM commigravit Academiam, ibiq; Studium Juridicum, laudabiliter cœptum, triennium integrum continuavit. Rursum inde in florentissimam HEIDELBERGENSIUM Academiam perrexit, & ibi quoq; ultra annum in lectionibus & disputationibus Juridicis frequens admodum & assiduus fuit. Hac commoditate locorum & temporum usus, SPIRAM etiam, laudatissimâ Camerâ Imperiali apprimè nobilẽ & claram, nonnunquam adiit, ut processus variarum Causarum, quæ ex toto Imperio illuc devolvuntur, videret atq; cognosceret. Peregrinationis insuper amore peragravit ALSATIAM, tractus CIS- & TRANS-RHENANOS, FRANCIAM, SVÆVIAM, HASSIAM, SAXONIAM, INFERIORIS GERMA-

NIÆ provincias etc. & memorabilia quaecunq, sibi oblata singulari prudentiâ observavit atq, notavit. Postquam ita sexennium ferme in studio Legali & Politico contrivisset, & totam Germaniam perlustrasset, interea verò Pater ipsius diem suum obiisset, eiq, hac de causa Anno 1613. in Patriam revertendum fuisset; vix altero post reditum mense elapso, Legationem in causa satis ardua obiit, missus à Magnifico & Nobiliss. Senatu Dantiscano in SVECIAM ad Regiam Majestatem, beatissimæ & gloriosiss. recordationis: ubi per annum integrum commoratus, negotium sibi commissum, non sine fruge, magnâ expedivit dexteritate. Et licet in Patria functiones honorificæ oblatæ ei essent; DEO tamen volente ac disponente factum est, ut noster ὁ ἐν ἁγίοις ex voto Dn. Parentis piè præmortui in hac urbe sedem rerum ac fortunarum suarum constitueret. Singulari enim providentiâ Divinâ, suasuq, & consilio Propinquorum, Anno 1614. die 2. Septembr. præsentibus pluribus Principum Legatis, in matrimonium accepit Nobiliss. & lectiss. Virginem EUPHROSYNAM, Reverendi quondam, Nobiliss. & Consultiss. Viri, Dn. ANTONII PETERSTORFII, Canonici Camminensis, Ecclesiæ Cathedralis Marianæ Stetini Capitularis, nec non Ill. Archidicasterii per annos 48. Protonotarii, filiam dilectissimam, nunc Viduam mœstissimam: cum qua in conjugio tranquillo ac suavi vixit annos 26. menses 10. & ex ea quatuor suscepit liberos,

beros,

beros, è quibus per DEI gratiam duo adhuc superſunt filij, & filia unica. Anno 1619. noſter μακαρίτης ab Illuſtriß. quondam, Reverendiß. & Celſiß. Principe ac Dn. Dn. FRANCISCO, Duce Pomeranorum &c. Epiſcopo Camminenſi &c. Dn. noſtro clementiß. laudatiſſimæ recordationis, ad munus REFERENDARII vocatus, nec non venerando Seni, dicto Dn. PETERSTORFIO, ſublevandorum laborum cauſa, tanquam VICE PROTONOTARIUS adjunctus eſt: cui etiam Anno 1628. poſt pium illius obitum in PROTONOTARIATU ſucceſſit. Eodem anno 1628. Vir piè defunctus, Eccleſiæ Cathedralis Marianæ & Ill. Pædagogij noſtri Capitularis ac Proviſor conſtitutus eſt. Atq; his officiis omnibus tanta fide, cura & induſtriâ præfuit, ut nemo quicquam jure queri de ipſo potuerit. In reliqua ipſius vita candidus & apertus eluxit animus, nihilq; in eo fictum aut ſimulatum fuit: omnibus ex animo bene cupijt, nocentem expertus eſt nemo. Exercitia pietatis, & domi ſuæ, & in conventibus Eccleſiaſticis, quotidie ſumma cum religione coluit. Adverſa omnia magno animo contempſit, & nobili vincendi genere, patientiâ, vincere fortiter potuit: ſoliq; DEO confiſus, & bonâ fretus conſcientiâ, rectè agendo neminem metuit. Egenorum inopiam pro modo facultatum benignè ſublevavit; &, ut verbo dicam, per omnia vitam ſuam ad veri Chriſtianiſmi leges unicè conformavit.

Quod

Quod ad morbum attinet, qui piè demortuo vitæ finem attulit, acer ille & periculosus fuit, quò alios etiam hoc tempore inopinatò sublatos & extinctos novimus. Gravißimo enim ventriculi affectu, quem calor & ardor nimius comitabatur, laboravit. Et licet idoneorum medicamentorum usu adeò mitigatum fuerit hoc malum, ut optima recuperandæ valetudinis spes affulserit, omnisq; res in vado [quod ajunt] visa fuerit esse: tandem tamen præter omnium opinionem prorsus recrudescere cœpit morbus, ita ut signa se lethifera manifestè exhiberent. Quod cùm ipse etiam ægrotans facilè persentisceret, divinæ voluntati se totum commisit, ususq; sacrosancto viatico Cœnæ Dominicæ (quod etiam ante hebdomadas 5. fecerat) die 2. hujus mensis, ipso festo Visitationis Mariæ, post horam quintam pomerid. vitam in CHRISTO, inter pias preces atq; suspiria, placidißimè finijt; cùm in terris his annos 51. & menses octo vixisset.

Corpus illius exanime hodierno die hora 2. ritibus Christianis & solennibus ad sepulturam efferetur: quo tempore ut omnes & singuli studiosi Juvenes frequentes in Auditorio majori conveniant, & Præceptores in funus prodituros sequantur, officij ratione hortamur. Est hoc studium & officium non tantùm dignum ordine nostro, sed Defuncti etiam virtuti, fidei ac meritis in Pædagogium nostrum amplißimis omnino debetur. Publ. propos. anno & die, ut suprà.

